



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Disputatio VI. De formali ratione quâ natura fiat Vniuersalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

DISPUTATIO SEXTA.

De formaliratione, quâ natura fiat Vniuersalis.

IOTA Disputatione præcedenti egimus de distinctione obiectiua & ex naturâ rei, quam nonnulli inter naturam & singularitates constituerunt, vt Vniuersalis essentiam explicarent; quia verò nos prædictam distinctionem reiecimus, oportet, vt vnitatem Vniuersalis in actus intellectus refundamus; sed quâ ratione fiat, explicandum est in hac Disputatione.

SECTIO I.

Idolum quoddam reicitur.

ANTEQUAM meam sententiam proponam, necessarium est, breuiter quamdam opinionem examinare. Meus in Philosophiâ Professor, ingenio non vulgari, nec diligentia ac studio impar, etiam præcisiones obiectiuas Disputatione præcedenti à nobis impugnatas, inter animal & rationale auidè amplexus, putauit tamen, & meritò, adhuc non posse ex parte obiecti conceptui vniuersali correspondere aliquid vnum reale, quod de omnibus inferioribus idem numero verè & realiter prædicari posset, sed necessariò debere ex parte obiecti immediatè omnes animalitates respondere (quod & nos ostendimus eâ Disputatione v. à num. 24.) Vt ergo aliquid vnum ex parte obiecti assignaret, quod esset Vniuersale, idolum quoddam erexit, clariùs vno verbo, docuit, Vniuersale nihil aliud esse, quàm quemdam hominem fictum ab intellectu, quem ipse intellectus respiciens prædicat postea de inferioribus, non quidem illud idem idolum fictum, sed ad similitudinem illius; de Petro v. g. prædicat rationem hominis propriam Petro, & de Paulo aliam distinctam, semper tamen similem illi idolo, quod est quasi quoddam exemplar, ad cuius imitationem, sicut artifex facit hanc vel illam statuam, ita intellectus prædicationem huius & illius naturæ efformat. Hanc sententiam satis eruditè confirmat auctoritate quidem Aristotelis, D. Thomæ, ac nonnullorum Nominalium: ratione verò, quia illud idolum est vnum in multis, & de illis per similitudinem prædicabile. quid ergo illi deest, vt sit Vniuersale? Hanc opinionem fusè impugnauit P. Hurtado suprà §. 185. Aristotelemque ac D. Thomam aliosque Auctores ab hac purgauit idololatriæ suspitione.

Omitto aliqua argumenta, quibus non satis efficaciter hæc opinio reiecta est; qualia sunt, Primum: Rationes communes sunt essentielles inferioribus, Petro v. g. ergo non sunt aliquid fictum. Huic enim respondent, esse quidem essentielles inferioribus, eas rationes quæ fundamentaliter sunt vniuersales, quæ verò sunt formaliter vniuersales, solum similitudine esse essentielles, quatenus, quæ aliæ similes eis Vniuersalibus fictis, sunt à parte rei essentielles Petro, Paulo, &c. Secundum: Idolum illud fictum ne-

quit esse simile homini v. g. inter ens enim & non ens quæ potest esse similitudo, aut quæ societas lucis ad tenebras? Sed & huic respondetur, non esse ibi realem similitudinem, vnum enim extremum non est reale; sed solam fictam similitudinem, nec aliud ab Auctore intendi.

His ergo rationibus omisissis sic ego argutor Primo, Quia sine vllâ fictione (vt ex dicendis decursu Disputationis constabit) facilè & elarè explicatur Vniuersale; vt quid ergo debemus recurrere ad fictionem? Secundò, quia incredibile est, quando homines etiam rustici formant istos conceptus Vniuersales, homo, brutum, Angelus, eos aliquid fingere, & postea quando dicunt, *Petrus est homo*, tam esse acutum rusticum illum, vt possit dicere, Aduertite me, etiam si finxerim meâ mente hominem quemdam, qui non est possibilis, quando tamen dico, *Petrus est homo*, non prædicare illum eundem (Petro enim nihil fictum identificatur) sed prædicare alium ei similem. Quis vmquam in se tales cognitiones expertus est, etiam de Vniuersalibus millies egerit? quid in rusticis & idiotis?

Tertiò, hanc euidentiore rationem addo: Si ad Vniuersale non requiritur, vt illud idem, quod est Vniuersale, prædicetur de aliis, sed sufficit aliud ei simile, quid necessum fuit ad fictiones recurrere, sed accipiat quæcumque humanitas v. g. Petri; illa realis in se est verè vna, & alia ei similes: Vnde ipsa per similitudinem est prædicabilis de omnibus; ergo est Vniuersalis non minùs, imò multò melius, quàm idolum: habet enim realem similitudinem cum aliis, & realem vnitatem in se, quibus caret idolum.

Respondebis forè, illam naturam in se esse singularem, ideò non posse esse Vniuersalem. Sed contrà, quia etiam idolum eo modo quo habet esse, est quid singulare; est enim vnum singulare ens rationis fictum, & præcisè à te vocatur Vniuersale, quia similitudine est multiplex, repræsentat enim multa, & similitudine est prædicabile de multis: at hoc idem habet natura Petri, & quidem à parte rei sine fictione vllâ, est enim vna in se, & similitudine multiplex: item similitudine prædicabilis de multis, quæ repræsentat, vt ex se patet; ergo erit Vniuersalis, non minùs, quàm tuum idolum.

Respondebis Secundò, Petri naturam habere singularitatem, seu Petreitatem, quæ non conuenit aliis, ideòque non repræsentare alios etiam similitudine. Sed contrà Primò, quia Petreitas est etiam similitudine in omnibus aliis: Pauleitas enim licet non sit Petreitas, est tamen indiuiduatio quædam illi similis: tu verò non requiris nisi similitudinem rei Vniuersalis cum indiuiduis, & naturâ de illis prædicatâ. Contrà Secundò, quia quidquid sit de Petreitate vt sic explicatâ, ipse admittis duas in Petro singularitates: vnâ, quâ est vnus homo; vnde dicis, quando hominem concipio, ex parte obiecti respondere multos homines, seu multas vnitates naturæ humanæ, à quibus non possum præscindere:

illæ

Alia autem vnitates seu singularitates, quas vocas incompletas, omnino sunt similes inter se, quocasu non concipiuntur singularitates illae, quas Petreitatem, Pauleitatem dicis, & quas completas vocas, fateris enim, ab his bene posse hominem praescindi. Non disputo iam, an haec doctrina vera sit, sed ex illa redarguo tuam solutionem: admitris enim, posse naturam humanam ex parte obiecti sine Petreitate respondere, & quidem ut omnino similem, cur ergo illa non erit vniuersalis, sicut tuum idolum cum sit similitudine omnes, possitque per similitudinem de omnibus praedicari?

Sed dices, Obiectum conceptus vniuersalis debet esse vnum in se, ergo natura Petri non potest esse vniuersalis. Nego consequentiam, admissio Antecedente, quia illa est perfecte in se vna. Secundo nego, inde inferri, illud idolum debere esse vniuersale, quandoquidem non est magis vnum in se, quam sit qualibet particularis natura cuiuscumque. Quomodo autem vniuersale debeat esse vnum in se, dicitur inferius.

Secundo dices: Species, quam ego habeo de homine, non est propria illius, ergo, quod concipio per illam, non est verè homo, sed aliquid fictum. Hoc argumentum etiam probat, quando praedico *Petrus est homo*, non praedicare me de illo veram humanitatem ipsius, sed aliquid fictum, quia nec tunc habeo speciem propriam de Petro, quod est contra te. Respondeo ergo, eam speciem esse solius hominis, & in hoc sensu propriam & propriissimam esse: quia verè est confusa, non quidditatiua, sed imperfecta solet sapè vocari species impropria hominis, ex quo modo loquendi orta est ea æquivocatio.

Tertio obicies immediatum obiectum vniuersalis praedicatur totum de quolibet, ergo non potest esse aliquid reale; quia nihil reale potest praedicari de pluribus. Sed contra, quia multo minus aliquid fictum potest praedicari de pluribus entibus positiuis & realibus. Et sicut respondes, illud fictum non in se, sed in alio simili praedicari de omnibus, ita multo melius poterit aliquid reale, v. g. natura Petri de omnibus praedicari, non illa eadem in se, sed in aliis ei similibus realiter. Quomodo autem vniuersale de multis praedicetur, dicam inferius. Hæc iam sufficiant contra singularem hanc sententiam; veniamus ad alias probabiliores.

SECTIO II.

Vniuersale non sit per præcisionem obiectiuam.

PRIMA CONCLUSIO. Natura non potest fieri vniuersalis per actum concipientem eam præcisam à singularibus, ita ut ex parte obiecti vna sole correspondeat, quæ praedicetur de pluribus. Hæc est contra Thomistas omnes, à quibus stare videtur P. Rubius *Quest. 3. & 4.* vniuersalium, affirmantes, eo ipso quod intellectus præscindat naturam à singularitatibus, illam manere vnā obiectiuè, & prædicabilem de pluribus, quia illa eadem natura praedicatur de Petro & de Paulo. Cum enim illa solum dicat prædicata essentialia, quæ omnia sunt in quolibet, in-

de sit, illam naturam totam esse prædicabilem de quolibet. Quod si in inferioribus multiplicatur, id fit ratione singularitatum, cum quibus identificatur. Hæc sententia impugnata est nobis Disputatione præcedenti, dum ostendimus, eas præcisiones obiectiuas naturæ à singularitatibus prorsus esse implicatorias: nunc verò specialius eandem reiicio, ostendoque adhuc præcisionibus admissis, non posse naturam reddi vniuersalem ex parte obiecti, vt aduersarij contendunt.

Primo, quia natura illa sic præcisā obiectiuè non potest praedicari intrinsecè de quolibet indiuiduo, ergo non est vniuersalis: Consequentia est certa in principiis eorum contra quos ago. Antecedens probatur: quia natura illa est natura realis omnium hominum, sed natura omnium hominum non potest intrinsecè tota de Petro praedicari, ergo non de quolibet indiuiduo. Consequentia est euident. Maior est doctrina aduersariorum. Minor pater: quia Petrus realiter & adæquate distinguitur à reliquis hominibus, ergo natura reliquorum non potest eadem numero intrinsecè de Petro verè praedicari, aliàs Petrus haberet naturas omnium hominum secum identificatas, essetque verè & realiter omnes homines.

Respondebis, eam naturam sic præcisam non 7 esse naturam omnium hominum, imò potius ab illis abstractam. Sed contra, quia licet illa natura præscindatur à singularitatibus omnium hominum, ipsa tamen est natura realis omnium hominum, quod probatur aperte ex tuis principiis: Quia illa natura etiam præcisā potest intrinsecè de Paulo, Ioanne, &c. praedicari: sed de Paulo nihil intrinsecè potest praedicari nisi eius natura; ergo quod correspondebat in illa naturā etiam abstractā, erat ipsamet natura Pauli. Sed per te rursus, quod ibi correspondebat, poterat etiam praedicari de reliquis intrinsecè; ergo ibi correspondebat realiter natura reliquorum. Vnde iam præcedens meum argumentum te rursus premit: Natura reliquorum non potest praedicari verè & realiter de Paulo, ergo quod ibi correspondebat, non potest praedicari de quolibet. Ergo neque erat vniuersale. Vel aliter intorqueo telum: Quod ibi correspondebat, non erat natura Pauli, sed quid abstractum; ergo illud idem non potest verè praedicari de Paulo. Probo euidenter: quia de Paulo solum praedicatur verè eius natura, neque à parte rei cum ipso identificatur aliquid ab ipsius naturā abstractum. Confirmatur: implicat, idem realiter intrinsecè praedicari de Petro & de Paulo, & tamen Petrum & Paulum non conuenire realiter idem in illo, quod enim realiter intrinsecè de aliquo praedicatur, realiter identificatur cum illo. Ergo si idem omnino de Petro & Paulo realiter intrinsecè praedicatur, realiter identificatur vna eademque res Petro & Paulo; ergo sunt realiter & intrinsecè idem inter se, quod aperte falsum est: ergo non totum, quod correspondebat in illā naturā abstractā, potest intrinsecè praedicari de Petro & Paulo simul, quandoquidem hi omnino inter se realiter distinguuntur. Quod si totum non praedicatur de quolibet, frustra à te fit vnum, & male illud dicis esse vniuersale.

Respondebis Secundo, illud quod prædica- 8
tur

tur de utroque, fieri distinctum per singularitates. Sed contra, quia (vt ostendimus contra Scotum Disputat. 4.) implicat, aliquid formaliter in se distingui, & multiplicari per aliam rem à se illo modo distinctam. Ergo si natura, quæ prædicatur de Petro & de Paulo, ex se est vna, quantumcumque ea identificantur cum singularitatibus distinctis, adhuc in illis manebit vna, licet singularitates, quibus vnitur, sint multe. quod exemplo naturæ diuinæ ostendimus vbi supra.

Secundò principaliter impugnatur ea sententia: Repugnat, aliquid esse vnum in se realiter, & diuidi realiter & intrinsecè in plura, quæ sint adequatè idem cum ipso, distincta tamen inter se. Ergo repugnat, illam naturam obiectiue esse in se intrinsecè vnā, & diuidi realiter in plura, quæ sint idem adequatè cum ipsa. Probo Antecedens, quia implicat, inter duas partes, diuidentes aliquod totum, quamlibet earum esse idem adequatè cum toto (in toto enim erat ipsa pars, & alia distincta compars;) ergo implicat, aliquid vnum diuidi in plura, quorum quodlibet sit idem adequatè cum toto. Ergo repugnat, eam naturam totam de Petro prædicari, & eandem etiam totam de Paulo, si Petrus & Paulus inter se adequatè distinguantur.

SECTIO III.

Alia sententia de naturā Vniuersalis reuicetur.

NON possum non hic, quod audierim ipse, breuiter referre. Quidam enim Vniuersalitatem explicantes dicunt, posito, tamquam conditione purè extrinsecā, meo actu præscindente hominem à Petro & Paulo, v. g. realiter & intrinsecè Petrum & Paulum manere vnum indiuisibilem hominem indistinctum in se, non minus verè realiter à parte rei, quàm Professor, positis discipulis, sit & realiter Magister. Sic autem putant isti, se valde benè explicauisse Vniuersalitatem, dum verè & realiter ponunt ex parte obiecti omnium hominum naturam vnā indiuisibilem realiter, quæ postea in indiuiduis realiter distinguitur. Crediderim, ab his Auctoribus non benè, quæ dicunt, considerata: neque enim possum mihi persuadere, sibi ipsis voluisse tantam iniuriam inferre, vt fateantur, quando ego hic in meo cubiculo præscindo & dico *animal*, eo ipso verè & realiter & intrinsecè ipsos non solum manere vnitos cum animalitate equi aut asini, sed propriè & rigorosè fieri eandem indiuisibilem animalitatem equi aut asini, & hoc non minus verè & realiter quàm ego habens discipulos sum Magister. Certè ego non volo ita de me sentire. Sed age vltèrius id impugnemus: numquid, quia aliquis sedens Romæ, Pragæ, vel Salamanticæ in suo cubiculo, vel disputans in scholis, præscindat rationem hominis vt sic, idè omnes homines, qui sunt per totum orbem dispersi, verè & realiter & intrinsecè ad se accedunt paulatim, & fusi in vnā massam fit vnicus indiuisibilis homo intrinsecè? Numquid post omnium hominum præcisiones possibiles ego non possum mori viuente Petro, ego ambulare eo sedente, ego dormire & ille studere?

Numquid non sumus duo homines verè & realiter idem qui antea, & tam oppositi vel similes ac antea? Numquid & quilibet non manet in suo loco, siue totus mundus mente præscindat siue non? Quomodo ergo potest humana mens vel concipere, non iam dico assentiri ita realiter esse, vt post eas præcisiones ego iam non sim distinctus à Christi humanitate intrinsecè & essentialiter & à parte rei, sed tunc tam sit falsum dicere de me, *ego non sum Christus*, quàm est falsum de homine habente discipulos, eosque docente, dicere, *iste non est horum Magister*. Ista sententia non indiget nisi sui explicatione, vt explodatur. Exemplum quod pro se afferunt de Magistro, ostendit absurditatem sententiæ, vt ex dictis constat. Sed adhuc illi respondeo, me esse Magistrum vel discipulum, non esse denominationem intrinsecam in me realiter: neque enim ego aliquid intrinsecum Physicè recipio ex eo, quod Petrus audiat me, etiam si ex eo denominer ego partialiter Magister, sicut quia Rex dicat alicui, *Ego te facio Ducem, vel Capitaneum*, non propterea ponit in illo entitatem aliquam intrinsecam. quæ enim illa est, substantialis, an accidentalis? Aut quo pacto Rex centum leucis distans eam entitatem producit? Numquid eam inclusam mittit in litteris, vt cum primùm hæ referentur, ex eis euolans ea entitas se in electi Capitanei corpus insinuet, veluti dæmon in corpus energumeni? Quæ quàm sint ridicula, nemo non videt.

Hæ ergo & similes denominationes partim sunt intrinsecæ ab ipsa personā, & extrinsecæ partim à voluntate, vel præsentia alterius. Sed age, concedamus id in Magistro, scilicet, expositione discipulorum produci in eo vnū modum intrinsecum, à quo denominetur intrinsecè Magister; numquid idè à cognitione alterius iam ego intrinsecè fio idem numero & indiuisibilis homo cum Paulo? Hoc omnino repugnat. Illud primum possibile est, etiam si non necessarium: quia non repugnat, Deum, expectarā, vt conditione, præsentia discipulorum, producere aliquid intrinsecum accidentale in me, à quo, si velis, perueniat denominatio intrinseca Magistri. At quæso, quomodo Deus potest facere, vt intrinsecè & realiter duæ animæ simus vna indiuisibilis? Poterit quidem vnā destruere, alteram non, vel fortè vtramque vnione continuatiuā copulare (admitto tibi hoc gratis) eo modo quo potest duo puncta materiæ vnire: at facere, vt in se eæ duæ animæ sint vna indiuisibilis res (& idem est de duobus punctis materiæ) nec potest Deus facere, nec vix fingendo potest concipi modus quomodo id fiat. Ratio à priori, quam sæpè insinuaui: quia essentia mea, sicut ex se ipsa est animalitas & rationalitas v. g. & repugnat hanc eandem fieri à Deo hinnibilitatem vel lapideitatem, ita ego ex me non sum Paulus, & Paulus non est ego; ergo repugnat, vt Deus faciat me Paulum, & Paulum me, & Multò magis, vt vtrumque faciat idem omnino indiuisibile. Vide quæ dixi contra P. Fonsecam & Scotistas Disputat. iv. à num. 8. Quomodo ergo id, quod nec Deus suā omnipotentia facere vllatenus potest, faciam ego in omnibus hominibus verè & realiter & intrinsecè, iam dum hæc scribo, eò quod mente præscindam hominem à suis differentis?

Adde,

12 Adde, istos labi etiam in sententiam de connotatis, impugnandam infra Disputatione XII. à num. 31. Si enim tota vnitas est in Petro & Paulo, posita eà præcisione, ergo etiam præcisione cessante manebit vnitas tota. Probo euidenter consequentiam: quia manent omnia quæ erant in nobis; hæc autem erant tota essentia vnitatis, ergo & tota vnitas, quia hæc non distinguitur à tota suâ essentia. Sed de hoc me vide fusiùs infra loco citato; non enim volo repetere, & præuerrere quæstionem. Fortè dicent, post præcisionem non reddi omnes homines in se vnum quid indiuisibiliter idem in esse reali hominis, hoc enim nullatenus fieri potest, sed manere idem in esse cogniti. Sed contrà Primò, quia tu contrarium docueras, iam verò honestè retractas. Contrà Secundò, quia esse cognitum, non est intrinseca denominatio in obiecto, sed extrinseca; ergo non manebit intrinsecè vnus etiam in ratione cogniti, quia hæc ratio non est illis intrinseca: Contrà tandem, quia iam hoc modo venis ad meam sententiam, explicandam statim.

SECTIO IV.

Natura sit Vniuersalis per præcisionem formalem.

13 SIT ergo SECUNDA CONCLUSIO. Natura sit vniuersalis solum per præcisionem formalem, id est, quâ ita concipiuntur naturæ omnes, vt licet ex parte obiecti omnes differentie & omnia indiuidua cognoscantur, ita tamen confusè, vt vna sola natura cognosci videatur, & quantum est ex vi illius actus, nequeat intellectus discernere, vtrum sit vna an plures; ad modum, quo diximus Disputatione V. posse eandem entitatem, v. g. hominem, adeò confusè cognosci, vt licet formalissimè attingatur rationalitas, nihilominus intellectus non possit discernere, vtrum esset rationalitas, seu illum distinguere ab irrationali, quod idem est. Hæc sententia est communis inter Nominales, & inter recentiores nostræ Societatis, negantes præcisiones obiectiuas: imò multi qui eas admittunt, adhuc stant ab hac sententiâ; quia censent, & merito, saltem inter naturam & singularitates repugnare præcisiones, etiam si non repugnent inter genus & differentiam. Vel, licet non repugnent, per eas tamen non posse Vniuersale explicari, vt nos supra ostendimus Sectione 2.

Explico Conclusionem. Natura ipsa secundum se non potest adæquatè esse vniuersalis, quia implicat, aliquid in se vnum, esse etiam in se formaliter multa, vt ostensum est: habet ergo natura ex se multiplicitem, est enim à parte rei, Petrus, Paulus, Ioannes, qui sunt plures homines; at, quia illis deest vnitas, intellectus cognoscendo eos homines confusè & sine distinctione, eos constituit extrinsecè vnum, sicut eos constituit extrinsecè cognitos. Quare Vniuersale dicit duo, & naturam ipsam, & actum intellectus; sicut obiectum cognitum dicit duo, & obiectum, & actum, seu cognitionem à quâ obiectum extrinsecè denominatur cognitum.

14 Quòd si obiicias, actum esse quid singulare, ac proinde non posse constituere Vniuersale;

Respondeo faciliè, actum esse quidem singularem in se, Vniuersalem tamen respectu obiecti, quatenus plura obiecta constituit vnum extrinsecè, eaque reddit prædicabilia de multis, vt infra explicabo.

Vterius obiicies, de ratione Vniuersalis esse, vt actum non sit diuisum, sed aptum diuidi; inferiora autem sunt actu diuisa, ergo non possunt esse Vniuersalia. Respondeo, Vniuersale non excludere actuale diuisionem, etiam si requiratur aptitudinem ad illam: actus enim, & aptitudo ad actum, non repugnat, imò potius ab actu ad potentiam est euidentis consequentia affirmatiue. Respondeo Secundò, naturam, quatenus Vniuersalem, adhuc non esse diuisam, id est, quatenus cognitam actu confuso non esse distinctam per intellectum, etiam si à parte rei habeat distinctionem, quod omnes fateri tenentur: in quacumque enim re constituitur Vniuersale, non potest negari actuali indiuiduorum distinctio à parte rei; & consequenter non potest negari, à parte rei esse iam ipsum Vniuersale diuisum. Quid ergo specialiter hoc nobis obicitur?

Hæc sententia sic explicata, confirmatur auctoritate D. Thomæ Opusculo 55. vbi agens de formâ Vniuersalis, seu de cognitione reddente naturam vniuersalem, hæc ait: *Eius autem vniuersalitas non est ex eo quod est ex anima, sed quod comparatur ad multa singularia. additque: Est enim illa in solo intellectu singularis, & est Vniuersalis in quantum habet rationem vnius forme ad omnia indiuidua, quæ sunt extra animam, prout equaliter est similitudo omnium.* Quibus verbis reuocat Primò sententiam Thomistarum, constituentium formam Vniuersalem non in intellectu, sed in re ipsâ cognitâ. D. enim Thomas ipsum actum, qui est in animâ, dicit esse formam Vniuersalem. Secundò eosdem impugnat: eum enim ipsi doceant, actum, quo fit Vniuersale, non ad plura, sed ad aliquid vnum terminari, sanctus Doctor dicit, terminari ad plura seu ad multa singularia. Præterea docet, etiam si actus, prout est in animâ, sit singularis, esse tamen vniuersalem prout respicit equaliter plura, vt nos diximus num. 13. Nec potuit clariùs sententiam nostram tradidisse.

Secundò suadetur ratione. Vniuersale non potest dari à parte rei, vt ostendi Disputat. IV. ergo debet esse per intellectum: sed per intellectum non potest constitui per actum præcipientem obiectiue, tum quia ille repugnat (vt dixi Disputatione V. Sect. 2.) tum quia, etiam si daretur, adhuc non posset efficere Vniuersale, vt ostendi Sectione 2. ergo solum manet actus præcisiuus 16 formaliter, quatenus omnia singularia ita confusè cognoscit, vt ea non distinguat inter se, & non aliter ea cognoscit quàm si esset vnus solus homo; vnde ea constituit extrinsecè vnum, manentque inferiora in se intrinsecè plura, & vnum per cognitionem, quod sufficit ad rationem Vniuersalis. Confirmatur: vnitas extrinseca, quam habent illa singularia, non est vnitas singularis, quia per illum actum nullum indiuiduum in particulari cognoscitur, sed omnia confusè; ergo illa vnitas est Vniuersalis, quia inter vnitatem vniuersalem & singularem non datur medium. Maior huius sententiæ declaratio ex dicendis sequentibus Sectionibus desumi poterit.

SECTIO

SECTIO V.

Nullae obiectiones solvuntur.

PRIMA est: Quia, si ad unitatem Vniuersalis sufficit unitas extrinseca ab actu intellectus, ergo actus vnus Dei, quo cognoscit omnes homines, constituit Vniuersale: item & actus, quo ego dico, *omnis homo*, quod est falsum. Sequela probatur, quia illi actus ex parte obiecti attingunt omnia singularia, sicut actus confusus: item in se sunt vnus, & reddunt obiecta extrinsece vna in ratione cogniti; ergo sunt constitutui Vniuersalis.

Respondeo, me non dixisse, ideò per actum illum confusum constitui singularia in ratione Vniuersalis & vnus, quia ipse actus in se vnus est, sed quia propter suam confusionem ita cognoscit singularia, vt ea non distinguat inter se; itaq; ea cognoscat ac si essent vnus tantum homo, quapropter extrinsece ab illa confusione actus obiecta dicuntur indistincta, & vnum inter se non solum in ratione *cogniti* (hanc enim denominationem & ab actu claro participant) sed dicuntur extrinsece vnum in ratione *hominis*. Actus autem clarus Dei distinguit Petrum à Paulo, & à reliquis indiuiduis, & ita per illum actum neque extrinsece dicuntur indistincta & vnum in ratione hominis. Idem est de actu, quo dico, *omnis homo*, qui expresse cognoscit pluralitatem ex parte obiecti. vnde neuter actus constituit Vniuersale.

Sed adhuc obieciens: Actus clarus, quo plura cognoscuntur, dat illis aliquam unitatem, ergo constituit illa Vniuersalia, licet non eodem modo quo actus confusus. Respondeo, unitatem, quam actus clarus tribuit suis obiectis, non esse sufficientem ad rationem Vniuersalis, quia illa unitas debet esse in eadem ratione, in qua est multiplicitas inferiorum. Si v. g. hæc sunt multa in ratione hominis, in eadem ratione debet esse unitas. Ostendi autem supra, actum clarum, etiam det obiecto unitatem in se cogniti, non tribuere illi unitatem, neque extrinsecam in ratione hominis; cognoscuntur enim plures homines, & vt distincti in ratione hominis, actum verò confusum etiam in ratione hominis constituere extrinsece vnum, quatenus (vt dixi sæpè) non distinguit, sed potius confundit illos inter se, ac si tantum esset vnus homo.

Obieciens Secundò: Actus ille cognoscit omnes homines; ergo vno deficiente, vel impossibili, non posset esse ille actus. Alibi in simili materia respondi huic argumento, & aduersarios eo premi, quia etiam ratio superior esset diuersa, si vnus homo repugnaret: tunc enim illa ratio communis esset minus vniuersalis quam iam habet; quæ minorem identificationem in actu primo; nunc enim est superior ad centum, tunc verò solum ad nonaginta nouem; tunc non posset nisi cum his nonaginta nouem identificari, iam verò cum centum. Imò si (vt ipsi dicunt) illa ratio est idem cum inferiorum omnium humanitate, ergo, vnâ deficiente, non manet eadem omnino ratio: repugnat enim in terminis, vt deficiente alquo, quod est idem realiter cum altero, maneat tamen totum illud alterum adæquatè idem vt antea erat.

Argumento video communiter sequelam concedi, & ego illam olim concessi: neque videtur in ea maius esse absurdum, quam concedere, impossibilem vno actu non manere eundem intellectum nec hominem qui iam est. Sed tamen infra 19 Disputatione xiv. à num. 46. ostendam, cognitionem per se non pendere à possibilitate obiecti, eò quòd ratio representationis, quæ cognitioni est essentialis, potest manere etiam impossibili obiecto; perinde enim representatur Chimæra, ac si esset possibilis.

Obieciens Tertio: Intellectus per illum actum vniuersalem non concipit plura vt plura, ergo concipit plura vt vnum, ergo præscindit obiectiue naturam à singularitate. Confirmatur: natura vt concepta actu vniuersali est Vniuersalis, ergo vt sic non dicit omnia singularia, quia hæc non sunt Vniuersalia; ergo vnum aliquid, ergo præcisum obiectiue. Respondent nonnulli, per illum actum concipi plura vt similia. Sed non placet hæc solutio: quia similia vt similia formaliter dicunt pluralitatem & distinctionem, nihil enim est sibi simile; ergo, si vt similia formaliter concipiuntur, concipientur vt plura, ac proinde ille actus non constituit Vniuersale, quia non confundit naturas seu singularia. Confirmatur Primo, quia actus quo dico, *omnes homines sunt similes in natura humanâ*, concipit plura vt similia formaliter, & tamen in omnium sententiâ non est actus constituens Vniuersale, quia concipit plura vt plura; ergo actus vniuersalis non concipit distinctè plura etiam vt similia. Confirmatur 10 Secundò, quia actus vniuersalis ita concipit omnes homines, vt ex parte modi vnus solum apparere videatur, nec per illum actum cognoscitur an sint plures: sed per actum, quo plura vt similia formaliter cognoscuntur, iam ex parte modi debent plura apparere; ergo ille actus non constituit vniuersale.

Fateor, vt intellectus possit illa plura confundere, requiri eorum similitudinem, imò ex illâ nasci totam confusionem, iuxta dicta Disputatione v. Sectione 2. Subsectione 3. per actum autem vniuersalem non cognoscitur expresse ea similitudo, quia hæc iam dicit cognitam expresse multipliciter.

Ad obiectionem ergo melius respondeo, per actum illum confusum plura cognosci ex parte obiecti, etiam si ex parte modi vnum videatur cognosci, quatenus per confusionem non distinguuntur illa plura: quare si *vt* reduplicet supra obiectum, nego non cognosci plura vt plura, quia ex parte obiecti omnes singularitates cognoscuntur; si verò *vt* reduplicet supra modum cognoscendi, fateor cognosci plura vt vnum, id est, cognosci plura, quin distinguantur per cognitionem. nego tamen hinc sequi, dari præcisionem obiectiuam, quia ad hanc requiritur, vt ex parte obiecti aliquid vnum abstractum ab inferioribus tangatur.

Ad confirmationem respondeo, negando, omnia singularia cognita confuse, non posse esse Vniuersalia extrinsece, quod iam supra ostendi.

Obieciens Quarto D. Anselmum de Incarnatione cap. 2. vbi hæc habet: *Commonendi sunt nostri temporis Dialectici, imò Dialectici heretici, qui quidem non nisi statum vocis putant esse vniuersa-*

les substantias. Ergo sentit Anselmus, ipsas naturas secundum se esse vniuersales.

Nego consequentiam, quia inter flatum vocis & naturas ipsas, dantur actus intellectus, qui constituent vniuersale. Anselmus autem eos solum reprehendit, qui constituent vniuersale in solis vocibus externis. Adde, à me non negari, naturas ipsas esse vniuersales, sed doceri, formam, quâ constituentur in ratione talium, esse actus intellectus; quod longè aliud est, nec ab Anselmo negatur.

Obiicies vltimò: Res vniuersales debent esse prædicabiles de quolibet: atqui omnes naturæ, etiam confusè cognitæ, non sunt prædicabiles de quolibet; ergo nec sunt vniuersales.

Hoc argumentum premit argumentem, quia tota illa natura (vt ostendi) si realiter est prædicabilis de Petro, non potest etiam de Paulo, quantumcumque sit præcisa. Quid autem absolute dicendum sit, Sectione sequenti constabit, vbi huic argumento fiet satis.

SECTIO VI.

Quis actus confusus sit, quo formaliter natura constituitur vniuersalis in essendo & prædicando.

SUBSECTIO PRIMA.

Actus copulatiuus confusus vniuersalis in essendo & prædicando refutatur.

22 **N**ONNULLI censent, per actum copulatiuum confusum, quo omnia indiuidua simul cognoscuntur, ita constitui naturam vniuersalem in representando, seu in essendo, vt etiam per illum actum constituitur vniuersalis in prædicando, ita vt quando dico, *Petrus est homo*, ex parte obiecti per *homo* cognoscantur omnes naturæ omnium singularium; & licet videantur omnes affirmari de Petro, non tamen affirmantur nisi propria ipsius natura. Quod si illis obiciat, totum, quod concipitur ex parte prædicati, debere affirmari de subiecto, casu quo actus sit copulatiuus, & consequenter omnes naturas debere affirmari de Petro, quandoquidem omnes copulatiue cognoscuntur ex parte prædicati; quod tamen prorsus repugnat: si hoc, inquam, obiciat, respondent, in eo differre actum copulatiuum confusum à copulatiuo claro, quod clarus affirmat totum quod cognoscit de suo subiecto, at verò confusus non affirmat nisi partem sui obiecti.

Hæc opinio displicet summopere recentioribus, qui mirantur in mentem Philosophi incidisse. Ego eam sic impugno.

Ad veritatem propositionis copulatiuæ requiritur, vt totum quod enuntiat per prædicatum, conueniat subiecto; nec sufficit, si aliqua pars tantum illi conueniat: ergo, si ex parte *hominis*, quod est prædicatum in illa propositione, *Petrus est homo*, correspondent omnes homines copulatiue, vt propositio sit vera, debet Petrus esse omnis homo. Atqui Petrus non est omnis homo, vt lumen naturale docet; ergo illa propositio non 23 potest esse vera. Nec sufficit illa distinctio data

inter actum copulatiuum confusum & clarum; tum, quia excogitata est sine vilo fundamento; tum, quia nullus Logicus, neque etiam ipsi aduersarij, dum in Summulis docent, ad veritatem propositionis copulatiuæ requiri vt totum prædicatum conueniat subiecto, distinxerunt inter copulatiuum confusum & clarum, quia absolute in omnibus copulatiuis veram censent illam doctrinam; tum, quia ipsi Auctores docent, quando ego dico, *natura diuina communicatur*, non correspondere in conceptu naturæ paternitatem, alias de illa affirmaretur *communicari*, quod est hæreticum. Vnde sic argumentor contra illos: Si tunc corresponderet paternitas, non responderet clarè sed confusè cognita; & tamen per te, quia ibi corresponderet, deberet de eâ affirmari communicatio; ergo etiam in actibus copulatiuis confusis debet prædicatum conuenire toti subiecto cognito copulatiue, etsi confusè; ergo non benè distinguitur inter copulatiuum confusum & clarum, quoad punctum præsens. Tandem reicitur, quia si in aliquo actu non esset necessarium, vt totum quod correspondet ex parte obiecti, affirmaretur de subiecto, potius id esset verum in copulatiuo claro, quam in copulatiuo confuso: quia affirmare vnum de alio, & non affirmare totum, est distinguere inter id quod affirmatur, & inter id quod non affirmatur; ergo si aliqua cognitio posset partem obiecti affirmare, & non totum, ea esset cognitio clara plurimum quæ distinguit inter illa plura. At confusa cognitio, 24 quæ non distinguit inter suum obiectum, quâ ratione potest prædicare partem obiecti, & partem non prædicare, hoc enim iam est distinguere inter partem & partem, quod repugnat cognitioni confusæ. Ergo si cognitio copulatiua clara affirmat totum suum prædicatum de subiecto, à fortiori affirmabitur totum per cognitionem confusam copulatiuam.

Secundo impugnatur à priori ea opinio: quia prædicari vnum de alio, nihil aliud est, quam per copulam vnire prædicatum cum subiecto. ergo si ex parte prædicati concipiuntur omnes naturæ, omnes illæ prædicantur de subiecto. Probo consequentiam: quia copula eodem modo & indiuisibiliter respicit totum prædicatum, illud vnendo cum subiecto: neque enim ille actus iudicij attingit diuerso modo vnâ naturam ac aliam, cum inter illas non distinguat; ergo eodem modo vnit vnâ, quo aliam. Sed dices: Talia sunt subiecta, qualia importantur per prædicata; ergo si subiectum est *quidam homo*, faciet vt prædicatum supponatur solum pro quadam naturâ. Benè est, sed ego hinc te redarguo: Ergo non cognoscit nisi vnâ naturam, quia prædicatum non supponitur nisi cognoscendo; ergo si pro vnâ naturâ supponitur, vnâ tantum cognoscit. 25 Quod si vis coniungere in vnum, & cognoscere omnes naturas, & supponi tantum pro vnâ, coniungis repugnantia in terminis. Præterquam quod axioma illud intelligi debet cōtrario modo quam intelligatur ab his Auctoribus: etenim in ipso non docetur, prædicata limitari per subiecta, sed potius è contrario, subiectum per prædicatum, hoc est, vt quando subiectum est terminus communis, si coniungatur cum illo prædicatum particulare, iam non supponatur in communi, sed in particulari. At verò hi Auctores prædicatum

tum limitant per subiectum, quod licet verum sit in sensu proximè explicato, non tamen docetur in prædicto axioma, neque fauet recentioribus, vt iam vidimus.

Ex his infero, Etiam si actus copulatiuus confusus extra prædicationem sit vniuersalis in representando, quia tunc æqualiter respicit omnia singularia (vt dixit D. Thomas num. 15. relatus) in prædicatione tamen vniuersali non cognosci omnia inferiora copulatiue, quia vt sic nequeunt de quolibet prædicari, vt hucusque ostendimus.

SUBSECTIO SECVNDA.

Actus disiunctiuus confusus pro Vniuersali refutatur.

¹⁶ Auctores, vt fugerent supra positam difficultatem, dixerunt Vniuersale constitui per actum confusum disiunctiuum, id est, terminatum ad omnia indiuidua sub disiunctione ad hoc vel illud, vt idem sit dicere, *Petrus est homo*, ac dicere, *Petrus est vel Petrus, vel Ioannes, vel Antonius*, quæ propositio vera est, licet Petrus non sit omnes homines; quia ad veritatem disiunctiue propositionis sufficit, vt vnum ex prædicatis conueniat subiecto. Cum autem vna ex illis naturis verè conueniat Petro, etsi non omnes, vera erit propositio, in qua omnes de Petro disiunctiue prædicantur. Confirmant hanc sententiam auctoritate D. Thomæ Opusculo 55. vbi hæc ait: *Genus significat formas* (id est differentias) *non hanc vel illam determinatam quam determinate exprimit differentia*. Deinde ratione: quia per illum actum natura hominis fit vna in multis, & prædicabilis de illis, quia omnes nature disiunctiue cognitæ sunt prædicabiles de quolibet; ergo ille actus constituit Vniuersale. Hæc opinio vel potest intelligi, vt solum constituat actum disiunctiuum in prædicatione, & in hoc sensu defendetur à nobis Subsectione 3. vel potest intelligi, vt Vniuersale formaliter in representando constituatur per illum actum disiunctiuum, vt v. g. quando ego dico *homo*, extra prædicationem corresponsent plura singularia indeterminatè & disiunctiue cognita; & in hoc sensu mihi displicet ea opinio, Primò, ratione à priori: quia licet possit dari disiunctio in prædicatione, tamen in simplici apprehensione & in complexa non video quâ ratione possit dari ea disiunctio, quia vel per illam apprehensionem simplicem cognoscuntur simul omnia singularia, vel non. Si omnia, ergo non disiunctiue, quia representari copulatiue per apprehensionem plura indiuidua, nihil aliud est, quam simul illa apprehendere. Si verò non respondent ex parte obiecti omnia singularia, ergo neque disiunctiue omnia cognoscuntur. Sed actus quo constituitur Vniuersale in representando, est apprehensio incomplexa plurium simul cum confusione, ergo illa non potest esse disiunctiua.

Sed age concedamus his, posse dari talem simplicem & incomplexam apprehensionem disiunctiuam plurium, adhuc ostendo per eam non reddendam naturam Vniuersalem: quia actus, qui distinguit inferiora inter se, non facit eam vnum extrinsecè (vt Sectione 2. ostendimus) sed actus ille disiunctiuus, eo ipso quod disiunctiuus

fit, debet distinguere sua obiecta, ergo non facit Vniuersale. Probo Minorem: quia actus disiunctiuus est, qui dicit, *hoc vel illud*, &c. sed qui hoc dicit, necessariò distinguit inter hoc & illud, inter quæ ponit disiunctionem *vel*; ergo ille actus disiunctiuus non confundit plura ita vt ea faciat vnum extrinsecè.

Dices Primò cum aduersariis, Per actum quo dico *hic vel ille homo*, licet cognoscantur plures homines, non tamen perfectè cognoscitur eorum singularitas; ergo potest per illum fieri Vniuersale. Contrà, quia vt actus non confundat obiecta, siue vt non faciat homines vnum in ratione hominis, sufficit si expresse cognoscat illos esse plures, etiam si non cognoscat perfectè eorum indiuiduationes, vt patet in actu quo dico *omnis homo*, per quem in omnium sententiâ non fit Vniuersale, eò quod expresse cognoscuntur plura, etiam si perfectè non cognoscantur eorum indiuiduationes. Ergo licet per actum disiunctiuum non cognoscantur perfectè Petreitas, Pauleitas, &c. quia tamen per ipsum cognoscuntur expresse plura, non poterit effici natura Vniuersalis. Ratio à priori est manifesta: quia quod opponitur directè & primariò *vni homini*, prout requiritur ad Vniuersale (quod debet esse vnum in multis) non est Petrus & Paulus, sed multi homines, etiam si non sciatur qui sint, Petrusne, vel Paulus (hoc enim iam requiritur non ad faciendos plures homines, sed ad cognoscendum omnino clarè eorum indiuiduationes) vnde qui cognoscit mille esse, non tamen cognoscit qui sint, non pauciores etiam ex parte modi cognoscit, quam qui distinctè nescit qui sint illi mille. Vnde etiam supra dixi, per actum, quo duas albedines vt duas video, & scio esse duas, quia illas duobus in locis video, licet non sciam dicere in quo vna ab alterâ differat; dixi, inquam, per talem actum non fieri Vniuersale: quod & hi Auctores, contra quos ago, fatentur. Ergo si cognoscuntur vt plura, etiam si clarè non distinguantur indiuiduationes, non fiet Vniuersale per actum disiunctiuum.

Dices Secundo, per actum disiunctiuum confusum ita naturam reddi vnam, vt tota sic cognita sit prædicabilis de quolibet: nam de Petro est verum dicere, esse vel Ioannem, vel Petrum, vel Antonium, quod idem verè dicitur de Antonio & de aliis; at per actum, quo dico, *omnis homo*, non reddit naturam prædicabilem de quolibet (neque enim dici potest, *Petrus est omnis homo*;) non ergo mirum, si per actum confusum disiunctiuum constituatur Vniuersale; secus per actum, quo dico, *omnis homo*.

Sed contrà, quia inde sequitur, hanc etiam esse prædicationem Vniuersalem, *homo est vel Petrus, vel Franciscus, vel Antonius*; quod neque à te neque ab vllò alio admittitur. Probo euidenter sequelam: quia de quolibet inferiori potest prædicari tota natura humana eo modo concepta. Respondebis, per hunc actum cognosci clarè differentias, ac proinde non posse esse Vniuersalem. Sed contrà, quia etiam per actum disiunctiuum, etsi non cognoscantur clarè vltimæ hæc ceitates, cognoscuntur tamen clarè plura vt plura; ergo non minus per vnum actum quam per alium constituitur Vniuersale, cum per vtrumque æquè distinguantur & cognoscantur in ratione plurium omnia illa indiuidua, sicut supra

diximus, non solum non esse actum vniuersalem, quo dico, *Petrus, Ioannes, Antonius*, sed neque illum quo dico, *omnis homo*, quia per eum cognosco pluralitatem, etsi perfecte non cognoscantur indiuiduationes.

30 Deinde impugnatur eadem sententia ad hominem: quia ipsi docent, indiuiduum vagum non esse vniuersale, eo quod non predicatur ut natura omnium, sed ut natura vnius: ergo neque actus disiunctiuus constituit vniuersale, quia indiuiduum vagum eodem modo predicatur ac natura omnium disiunctiue cognita, ut patet in hac predicatione, *Petrus est aliquis homo*, id est, *hic vel ille*, quae est praedicatio indiuidui vagi, & est eadem cum illa quae ab his Auctoribus ponitur pro vniuersali, scilicet *Petrus est homo*, id est, *hic vel ille vel ille homo*. Ergo non minus vna quam alia erit vniuersalis. Et hinc constat, falso praedictos Auctores dixisse, in actu disiunctiuo reperiri omnia quae ad vniuersale requiruntur. Nec D. Thomas eis fauet, quia potest intelligi de actu disiunctiuo in predicatione vniuersali, de quo statim; inde tamen non inferitur, cum sensu, actum disiunctiuum constituere vniuersale in essendo & representando, de quo nunc agimus.

SVBSECTIO TERTIA.

Nostra sententia.

31 **E**x dictis hucusque facile inferitur, quid sentiendum sit in hac re. Afferimus enim Primo, naturam constitui vniuersalem in essendo, seu extra predicationem, per actum copulatiuum confusum, quo omnes naturae simul apprehenduntur, ita ut inter illas non distinguatur intellectus, iuxta dicta Sectione 4. Afferimus Secundo, illam naturam sic conceptam esse praedicabilem de quolibet inadaequatè, id est, vnam de vno & aliam de alio; quod sufficit, ut absolute illa natura sit praedicabilis de pluribus, prout ad vniuersale requiritur. Haec doctrina obiectionum solutione amplius declarabitur.

Obiicies Primo: Ergo etiam hic actus, quo dico, *omnes homines*, constituit vniuersale, quia etiam omnes homines inadaequatè sunt praedicabiles de quolibet, id est vnus de vno, & alius de alio. Respondeo ex saepe dictis, per illum non fieri vniuersale, quia non fit natura humana vna, cognoscitur enim expresse pluralitas.

Obiicies Secundo: Praedicatio vniuersalis est illa, quae tota natura predicatur de quolibet; quando enim aliqua in particulari tantum predicatur, est praedicatio particularis: ergo si nos dicimus de quolibet inferiori tantum praedicari eius naturam, non admittimus praedicationem vniuersalem. Respondeo, ad praedicationem vniuersalem non requiri, ut tota natura vniuersalis praedicetur de quolibet (ostendi enim id esse omnino impossibile) sed solum, ut praedicetur illa natura, quae in apprehensione praecedenti per se requisita ad illud iudicium, fuerat vniuersalis, quia per apprehensionem praecedentem simul cum aliis fuerat confusa & sine distinctione cognita. Cum ergo natura illa, quae de Petro proxime praedicatur, ante praedicationem subiuerit simul cum aliis rationem vniuersalem, ideo absolute praedicatio illius dicitur vniuersalis non a

se, sed ab apprehensione illam praecedenti.

Sed replicabis contra haec Primo: Ergo similiter haec erit praedicatio vniuersalis, *hic homo est Petrus*, si facerem eam praedicationem immediate post apprehensionem vniuersalem. Respondeo, eam praedicationem non esse vniuersalem, primo, quia ad illam non fuit praerequisita apprehensio vniuersalis, per quam natura Petri simul cum aliis confunderetur & fieret vniuersalis; imò potius fuit praerequisita apprehensio clara & distincta de Petreitate, alias non posset Petreitas de hoc homine expresse affirmari. Quare etiam si eo tempore, quo habeo apprehensionem illam vniuersalem, afferrem de hoc homine esse Petrum, illa tamen apprehensio habet se omnino per accidens in ordine ad praedictam praedicationem. At in ea praedicatione, quae de Petro affirmo esse hominem, habet se praedicta apprehensio ut quid praerequisitum necessarium: unde non mirum, si denominet eam praedicationem vniuersalem. Secundo dico, eam non esse vniuersalem, quia non predicatur tota natura de illo neque disiunctiue, sed vna in indiuiduo sola & determinata.

Sed adhuc vrgebis Secundo: Quia tam repugnat, ut ex vi eius apprehensionis confusa circa omnia inferiora possum ego affirmare, Petrum esse aliquem hominem, quam affirmare esse Petrum, quia per illam apprehensionem (ut saepe diximus) non solum non cognoscitur Petreitas, & aliae singularitates, sed neque cognoscitur expresse pluralitas, unde non poterit affirmari ex vi illius, Petrum esse aliquem hominem, quia qui dicit aliquem, iam agnoscit pluralitatem; ergo neque praedicatio, quae a nobis ponitur, poterit esse vniuersalis.

Respondeo, obiectione probari, ad praedicandum de Petro esse aliquem hominem, non sufficere eam apprehensionem vniuersalem, quae omnia indiuidua confuse cognoscuntur; sed simul cum illa requiri aliam secundam, quae reflexe cognoscatur, eam naturam a me confuse apprehensam esse multiplicem, ut inde possum inadaequatè illam de quolibet indiuiduo praedicare. Ad affirmandum ergo de Petro esse aliquem hominem, requiruntur duae apprehensiones (quia etiam duo praedico) vna hominis, quae est vniuersalis, & a qua praedicatio dicitur vniuersalis; alia multipliciter naturae humanae, ut possum dicere Petrum esse aliquem ex hominibus. At in illa praedicatione, quae dico, *hic homo est Petrus*, cum tantum praedicetur Petreitas, solum requiritur vnica apprehensio Petreitatis; quare ad illam praedicationem nulla praerequitur apprehensio vniuersalis. Unde absolute est praedicatio particularis & in se & in apprehensionibus ad ipsam praerequisitis. Praeterquam quod potest etiam ea praedicatio dici vniuersalis: quia idem quod per vnam praedicationem affirmatur de Petro, potest etiam per aliam affirmari de Paulo, & de quolibet alio singulari: quia de quolibet est verum dicere, esse aliquem hominem, id est, hunc vel illum; non tamen est verum dicere de quolibet, esse Petrum. Unde non mirum, si haec ut praedicatio particularis, illa verò vniuersalis, quam solutionem tetigi paulo ante.

Dices: Propositio disiunctiua contenta est, si aliqua pars praedicati conueniat subiecto; nec requirit,

requirit, vt omnia prædicata illi conueniant: at prædicatio vniuersalis petit, quantum est ex se, fieri de pluribus; ergo prædicatio disiunctiua non est Vniuersalis. Hæc obiectio videtur laborare æquiuocatione: aliud enim est, in prædicatione disiunctiua non requiri vt totum prædicatum conueniat subiecto, aliud verò, illud prædicatum disiunctiuum non posse de pluribus affirmari. Primum est verum, secundum verò falsum: neque ad rationem prædicationis Vniuersalis requiritur, vt tota illa natura copulatiue conueniat cuilibet indiuiduo; sed solum vt tota illa sic disiunctiue cognita possit de pluribus prædicari, quod verum est, etiam si cuilibet non tota illa, sed aliqua pars tantum conueniat.

Sed hinc vrgebis Secundò: Hæc prædicatio, *Petrus est aliquis homo*, non est vniuersalis, & tamen est eadem, ac disiunctiua; æquiualeat enim huic, *Petrus est hic vel ille vel ille homo*, ergo prædicatio disiunctiua non est vniuersalis. Respondeo, eam prædicationem esse in re vniuersalem, etiam si, quia afficitur signo particulari, non dicatur Vniuersalis.

Rursus hinc vrgebis Tertio: Ergo hæc erit prædicatio vniuersalis, *hic homo est Petrus, vel Franciscus, vel Ioannes*, &c. quia etiam in illa prædicatur de quolibet tota natura humanam disiunctiue sumptam. Respondeo, negando consequentiam; quia prædicatio vniuersalis præsupponit apprehensionem confusam omnium hominum, quam præsupponit qui dicit, *Petrus est aliquis homo*: at qui dicit, *hic homo est Petrus*, supponit distinctam & claram apprehensionem Petri, Francisci, Ioannis, &c. sicut in simili dixi paulò antè de illa, *hic homo est Petrus*, ideoque ea non est prædicatio vniuersalis.

Sed vrgebis adhuc: Ergo hæc saltem erit prædicatio vniuersalis, *Petrus est hic homo*, quia etiam ad hanc debet præcedere apprehensio confusa hominis. Respondeo, illam esse vniuersalem denominationem ab apprehensione præcedenti, in se verò esse particularem, quia *hic homo* solum potest de Petro dici, at esse hunc vel illum, potest de omnibus dici.

Rogabis, an natura non solum habeat ab intellectu vnitatem, sed etiam multipliciter, & communicabilitatem pluribus. Ratio dubitandi est, quia ex vna parte natura de se habet pluralitatem, ex alia verò parte per intellectum habet, posse prædicari de pluribus; ergo & communicabilitatem pluribus. Respondeo, distinguendo duplicem multipliciter, aliam Physicam & realem, & hanc dico habere naturam à se ipsa, vt probat ratio dubitandi pro primâ parte: aliam Logicam, id est, vt ipsa natura possit de pluribus proximè prædicari, & hanc habet ab intellectu, à quo ea natura ita confunditur, vt tota de quolibet disiunctiue prædicatur: & hoc probatur ratione dubitandi pro secunda parte. An autem dicendum sit, naturam habere adequatè vniuersaliter ab intellectu, eò quòd ab illo habet & vnitatem & multipliciter Logicam, quæstio est de nomine; in qua dicendum est, ab intellectu provenire adequatè vniuersaliter Logicam proximam, quia vniuersalitas hæc solum dicit in recto vnitatem & aptitudinem vt de pluribus prædicatur, vel vt representet plura. quæ omnia habet natura ab intellectu immediatè, licet ex

parte ipsius naturæ debeat præsupponi multipliciter Physica, quæ non includitur in Vniuersali vt prædicabili tamquam pars, sed tamquam obiectum. Si verò loquamur de Vniuersali Physico, seu in essendo, dicendum est, partem huius Vniuersalis provenire ab intellectu, nempe vnitatem; partem verò esse realiter in ipsis rebus, scilicet multipliciter.

SECTIO VII.

De causâ efficiente Vniuersalis.

Non disputo, vtrum à Deo possit fieri Vniuersale, quia Theologicum est; nec de Angelis, etiam si valdè probabile censcam posse ab ipsis effici. Quid enim repugnat eis à Deo infundi species impressas adeò imperfectas, vt per illas non efficiant nisi actum confusum, quò non distinguant inter inferiora, præsertim cum in actibus intuitiuis non repugnet eiusmodi confusio? De intellectu humano certum est ex dictis, posse ab eo fieri Vniuersale. Sola restat difficultas de aliis potentiis ab intellectu, de voluntate scilicet, & potentiis materialibus, an possint efficere Vniuersale. Ratio dubitandi est, quia sicut potest intellectus cognoscere hominem vt sic, quin distinguat inter inferiora; ita potest voluntas amare hominem vt sic, vel bonum vt sic, quin specialiter amet hunc vel illum hominem. Item potentie materiales possunt ita confusè & imperfectè plura obiecta cognoscere, vt ea inter se non distinguant, quod experientia docet: quò enim distantius est obiectum visus, eò minùs apparet, non quia omnes illius partes non videantur, sed quia propter distantiam valdè imperfectè cognoscuntur, vt patet in sole & aliis stellis, quæ cum sint maximæ quantitatis, apparent tamen valdè exiguæ. Nec satisfacies, si dicas, actum intellectus, quia imago obiecti, dici ipsum obiectum, sicut imago Cæsaris dicitur Cæsar, ideoque ab ipso constitui Vniuersale: non, inquam, satisfacies, tum quia, etsi actus potentie appetitiue non sint imago obiecti, actus tamen materiales sensitiui, quia sunt cognitiones, etiam sunt imagines obiectorum, licet imperfectè. deinde illa est impropria locutio, nec semper vera: etenim cognitio quam ego habeo de Angelo, non dicitur Angelus.

Nonnullus hic putat, per actus externos fieri Vniuersale, quando v. g. ita videtur albedo, vt non possit distinguere à nigredine vel ab alio colore, quia tunc non representat illa visio albedinem in singulari. Aduerte, posse hic esse quæstionem de nomine, & de re. De re erit, si dicat hic Auctor ex parte obiecti per eum actum verè attingi omnes alios colores, prout videtur significare, sicut per actum, quò dico *homo*, in sententiâ ipsius attinguntur omnes homines: & in hoc sensu puto omnino improbabile eam sententiam. Nec vniuersum fuit vllus qui hoc docuerit. Primò, quia actus visionis non habet pro obiecto nisi ea quæ ei proponuntur vt præsentia, & quorum species habet. Quis autem dicet, colores possibiles non existentes immediatè attingi, & videri per actum, quò à longè video albedinem, & non bene eam distinguo, & tunc esse in oculo species de omnibus obiectis coloratis possibilibus. Secundo

Cundò idem reitio ab absurdo: quia etiam visio quantumcumque clara albedinis deberet facere Vniuersale, licet non genericum; saltem specificum. Quod ostendo manifestè: quia nulla visio externa distinguit indiuiduationem huius albedinis ab aliâ. unde si ponatur color omnino similis in duobus subiectis, eodem modo homo putabit eundem colorem se videre nunc ac antea; ac patet, quando intuetur aquam cuius motum non percipit, ergo tam tunc confundit ea indiuidua
 40 albedinis inter se, quam albedinem cum aliis coloribus, dum eam ab illis non distinguit; ergo si propter hanc rationem tunc ex parte obiecti attingit omnes colores, ita & nunc debet attingere omnes albedines, saltem illas quæ sunt æque intensæ, & quarum differentiam singularem non potest percipere; ergo sicut merito dices (quidquid sit de distinctione) ex parte obiecti non attingi nisi hanc numero albedinem, ita debes dicere, licet confusè videatur color ex parte obiecti, verè illum actum non attingere nisi solam albedinem.

De nomine verò potest esse quæstio, an, licet ille actus non attingat plura ex parte obiecti, sufficiat tamen ad constituendum Vniuersale, eò quod ea non distinguat inter se. In hac etiam diffideo ab hoc Auctore, & puto non sufficere, Primò, quia aliâs (sicut paulò antè dixi) etiam quando clarissimè video albedinem, deberem constituere Vniuersale saltem specificum (quod nec ipse admittit) nam etiam tunc confundo indiuidua. Secundò, quia ille actus non est vniuersalis ex parte obiecti, quia non tangit plura, ergo non constituit Vniuersale. Tertiò, quia obiectum illius nec copulatiuè nec disiunctiue prædicari potest de multis, prout requiritur ad rationem Vniuersalis.

Meliùs ergo dicitur, per potentias externas tunc fieri Vniuersale, quando ex parte obiecti multa videntur, ita tamen ac si essent vnum, vt in exemplo de sole & stellis ostendi.

41 Aduerte tamen, ita admitti communiter ab aliis potentiis fieri posse Vniuersale, vt etiam doceatur non esse Vniuersale Logicum, quia non fit Vniuersale prædicabile de multis, sed præcisè representans multa, intellectum verò facere Vniuersale & in essendo & in prædicando, quatenus eam naturam, quam primò apprehendit & reddidit Vniuersalem, postea prædicat de pluribus; ceteras verò potentias non posse eas facere prædicationes: quare concluditur communiter, absolute non constitui Vniuersale ab eis potentiis, quia Vniuersale absolute stat pro Vniuersali prædicabili.

Hic tamen communis modus loquendi videtur impugnari: quia etiam potentia exteriores, & præcipuè voluntas, nequeant prædicare ipsum Vniuersale (non enim possunt hæ potentia iudicare, in quo acquiesco his Auctoribus) possunt tamen constituere Vniuersale, quod vt sic factum v. g. à visu prædicetur ab intellectu; potest enim intellectus naturam visam, quasi vnâ extrinsecè à potentia externâ & internâ, prædicare postea de pluribus. Quare arbitror eas potentias posse in rigore constituere Vniuersale etiam prædicabile.

Dices fortè, Intellectus ad prædicandum non potest determinari immediatè à visione externâ,

ergo debet ipse postea habere apprehensionem confusam, ergo iam ratione istius fiet natura vniuersalis, & non ratione prioris. Fateor hæc omnia; verum illa apprehensio intellectus oritur ex apprehensione potentia visua: quapropter dicere possumus, quasi radicaliter & primariò eam prædicabilitatem oriri à visione externâ confusâ, ideoque hanc etiam pertinere ad Vniuersale prædicabile. Video, in hoc multa etiam de nomine misceri. Re intellectâ, dico cum communi, absolute ab eis potentiis non fieri Vniuersale, quia hoc iuxta communem acceptionem solum usurpatur pro eo quod potest prædicari ab eadem potentia, à quâ effectum est, quod in aliis potentiis ab intellectu locum non habet.

Secunda difficultas, an intellectus agens efficiat Vniuersale. Dicitur *intellectus agens*, quatenus producit speciem impressam, quæ est qualitas quædam substituta, & vicaria obiecti ad efficiendam simul cum potentia obiecti cognitionem: *intellectus* verò *possibilis* dicitur, quatenus efficit ipsam cognitionem. Quærimus ergo, an ab intellectu agente fiat Vniuersale, id est, an per speciem impressam, an solum à possibili. Cui difficultati respondeo negatiue cum recentioribus communiter contra plures Thomistas. Probat facile nostra sententia: quia per id constituitur Vniuersale, per quod natura intrinsecè dicitur formaliter vna; sed per speciem impressam non denominatur natura vllò modo *vna* vel *cognita*, id enim provenit à cognitione factâ per speciem impressam; ergo per hanc non constituitur Vniuersale. Confirmatur: Vniuersale constituitur per eum actum, quo natura redditur proximè prædicabilis de pluribus: sed hoc non habet proximè à specie impressâ, quia hæc primò debet producere apprehensionem confusam, à quâ postea determinatur intellectus, ad prædicandum de multis (vt dixi supra); ergo species impressa non constituit Vniuersale formaliter. Dico *formaliter*, quia efficienter, cum sit causa ipsius cognitionis quâ Vniuersale constituitur, potest etiam dici efficienter facere Vniuersale.

Obiicies Primò: Species impressa respicit obiecta, & non distinctè ac clarè, ergo confusè, ergo ea facit vnum, ergo Vniuersale. Confirmatur; quia species impressa representat aliquomodo obiectum, sed non omnino clarè, ergo confusè, ergo illud reddit vnum. Respondeo, speciem impressam respicere quidem obiectum, non tamen denominare illud magis, quam causa denominat suum effectum, quem respicit essentialiter. Ad confirmationem respondeo, speciem impressam non representare obiectum; licet enim ipsa sit causa cognitionis, non tamen est cognitio. Quod si adhuc volueris, per speciem impressam aliquo modo denominari obiectum *vnum*, dic, ab illâ constitui Vniuersale imperfectum, non tamen simile illi, quod ab intellectione constituitur. sed quæstio erit de nomine.

SECTIO VIII.

Nonnullæ difficultates expeditæ.

PRIMA sit, vtrum Vniuersale fiat per aliquod ens rationis. Pro quo aduerte, Thomistas nonnullos dixisse, ex actu, quo cognoscitur natura

natura Vniuersalis, resultare ens rationis fictum, quod dat vnitatem, & constituit vniuersalem naturam cognitam. Contra quæ dicendum est, Vniuersale non fieri per ens rationis. Quod probatur: quia ens rationis solum habet esse ab actu intellectus fingente aliquid in obiecto, quod non est in illo (vt dixi Disputatione I. r.) At, quando apprehendo inferiora confusè, nihil omnino fingit: ostendi enim hucusque, illum actum sine vlla fictione solum ex defectu maioris claritatis esse confusum, seu non distinguentem inferiora inter se, ergo per illum actum non potest fieri ens rationis. Sed tibi gratis resultare ex illo actu aliquod ens rationis, adhuc illud non pertinet ad Vniuersale, quia independenter ab illo natura est à parte rei multiplex, & vna extrinsecè ab actu confuso terminato ad illam; ergo illud ens rationis est detur, non tamen constituit Vniuersale.

45 Obiicies Primò: Conceptus vniuersalis attingit ex parte obiecti aliquam vnitatem, non veram; ergo fictam. Sæpè negaui, ex parte obiecti correspondere aliquam vnicam vnitatem actui constituenti Vniuersale, sed omnes vnitates omnium hominum, quo corrumpit tota obiectio. Replica: Illa individua sunt à parte rei distincta inter se; ergo, si per actum sunt vna, actus ille fingit vnitatem quam non habent à parte rei; ergo facit ens rationis. Iam etiam supra sæpè respondi, eum actum non dicere ea individua esse vnum & indistincta inter se (si enim hoc diceret, fingeret & formaret ens rationis, vt contendit replica); solum ergo ex parte modi ita confusè cognoscit, vt non percipiat distinctionem; quod non est fingere, sed carere cognitione distinguente.

Obiicies Secundò: Homo & equus non differunt in ratione speciei, eodem enim modo homo est species, quo equus; ergo in ratione talis non constituitur per actus, quia hi sunt diuersi speciei; ergo per aliquid rationis resultans ex actibus. De Antecedentis veritate dicam Disputatione VII. Sectione I. Subsectione 4. vbi argumento respondetur, ostendendo, diuersum esse Physicè Vniuersale hominis ab Vniuersali leonis, non verò Logicè loquendo. Iam nunc solum aduerte, hoc argumento vgeri aduersarios, nam diuersa entia rationis debent resultare ex diuersis cognitionibus; ergo etiam si in ente rationis resultante ex cognitione consistat Vniuersale, adhuc erit diuersum Vniuersale hominis, ab Vniuersali leonis.

Secunda difficultas est, vtrum Vniuersale fiat per notitiam comparatiuam, an verò per abstractiuam. Pro quo aduerte, abstractiuam esse illam, quæ primo & per se terminatur ad inferiora, secundum eorum naturam, etsi, quia ea cognoscit confusè, dicatur abstractiuam, simulque directam, eo quod non refertur ad obiectum vt vestitum aliquo actu. Comparatiua est, quæ naturam concipimus, vt iam factam Vniuersalem, reflectendo supra actum quo constituta est vniuersalis, & eam comparando cum inferioribus. Querimus ergo, quo ex his actibus fiat natura vniuersalis.

PRIMA CONCLUSIO. Per notitiam comparatiuam, non fit natura vniuersalis adæquatè & perfectè. Hæc est contra aliquos recentiores. Probatur tamen primò à posteriori, quia Deus ha-

bet hanc notitiam comparatiuam, & non constituit Vniuersale, vt ipsi fatentur; ergo sola notitia comparatiua non est sufficiens ad constituendum Vniuersale. Probo Maiorem: quia Deus cognoscit à me omnes homines fuisse confusè cognitos, & factos extrinsecè vnum; item & prædicabiles de pluribus, in quo consistit cognitio comparatiua: ergo Deus illam habet, & tamen non facit Vniuersale. Secundò, ratione à priori probatur nostra Conclusio, quia cognitio comparatiua, eo ipso quod naturam comparat cum inferioribus, & eorum noscit pluralitatem, iam non facit ea vnum extrinsecè, & consequenter nec Vniuersale: Vnde rursus infero, non bene ab istis doceri, notitiam abstractiuam, quæ fit Vniuersale, illam esse, quæ Vniuersale cognoscitur vt conueniens suis inferioribus, eo quod debeat concipi vnum in multis. Male inquam hoc doceri, quia actus quo fit Vniuersale, non illud comparat cum inferioribus, neque cognoscit multitudinem; aliàs non confunderet, nec multa, ac si vnum essent cognosceret, quod (vt ipsi alibi docent) ad faciendum Vniuersale requiritur, & nos sæpè supra ostendimus.

Dices Primò: Licet Deus habeat eam comparationem, quia tamen per illam non confundit naturas, idè non facit Vniuersale: at nostra comparatio confundit inferiora inter se, idè potest facere Vniuersale. Sed Primò hanc solutionem euerto: quia fortè Deus per illum actum etiam confundit naturas, quæ sunt obiectum mediatum comparatiuæ notitiæ. non enim dicit imperfectionem in Deo per actum, quo cognoscit obiectum aliquod in medio, non cognoscere clarior illud obiectum, quam per medium repræsentetur, vt ostendi in materiâ de scientiâ Dei: ergo, cum actus noster, in quo Deus illa inferiora cognoscit, non ea distinguit, nec Deus per illum actum ea distinguit. Ergo ex hac parte constituit Vniuersale. Contrà Secundò: quia cognitio comparatiua vt talis, non est confusa, sed reflectens supra confusam; ergo neque nostra comparatiua vt talis erit confusa; ergo quantum ad hoc, idem erit de nostrâ, ac de diuinâ.

Dices Secundò, idè in Deo eam cognitionem non esse Vniuersalem, quia Deus non potest prædicare naturas disiunctiuè, secus nos. Sed contrà, Ergo saltem Deus facit Vniuersale in repræsentando, licet non in prædicando. Contrà Secundò, quia etiam Deus dicit, de Petro verè prædicatur esse hunc vel illum hominem, quo casu etiam disiunctiuè prædicat de illo eas naturas, ideoque potest dici facere Vniuersale etiam in prædicando.

SECUNDA CONCLUSIO. Per notitiam abstractiuam fit natura vniuersalis. Hæc patet ex dictis: quia, vt aliquid fit Vniuersale, sufficit si sit vnum in multis; at per notitiam abstractiuam & confusam fit natura vna extrinsecè, cum ipsa in se supponatur in multis; ergo per illam notitiam completur ea natura in ratione Vniuersalis.

Obiicies: Natura vt vniuersalis dicit respectum ad inferiora, quia vt vniuersalis, est superior ad illa; superius autem dicit respectum ad inferiora: sed hic respectus non est realis, quia respectus realis debet esse inter distincta realiter, natura autem vniuersalis in se non distinguitur realiter ab inferioribus; ergo ille respectus erit

rationis. Vtteriùs perges, Respectus rationis non fit nisi per actum quo ipse cognoscitur; ergo solum fiet Vniuersale per notitiam comparatiuam, & reflexam supra naturam vtriusque, non verò per abstractiuam. Hoc argumento premuntur & aduersarij, quia per actum comparatiuum cognosco naturam, vt iam confusam per cognitionem, & præcisam à singularitatibus per te, item & vniuersalem, ergo ante eam comparationem iam supponitur vniuersalis; ergo superior, ergo respiciens inferiora, sed non respectu rationis, ergo reali; vel si adhuc tunc non datur talis respectus, ergo potest intelligi natura vt vniuersalis, quin intelligatur cum eo respectu, quorum vtrumque est contra te.

- 50 Respondeo ergo argumento, Per eum actum, quo natura cognoscitur, sine distinctione constitui Vniuersalem, & superiorem ad inferiora; nec necessarium esse, id comparatur cum illis, eo enim quo constituitur vna extrinsecè, cum aliunde in se sit multiplex, habet (vt supra dixi) vnitatem in multis, in quo consistit vniuersalis superioritas, & respectus ad inferiora, nec repugnat, vt eadem res mediâ cognitione dicatur se aliquo modo respicere (sic Angelus & noster intellectus dicuntur se respicere per cognitionem suam) illa ergo eadem natura in se denominatur se respiciens, & quasi sibi superior extrinsecè per actum intellectus, ad quod non requiritur vllus respectus fictus, nec distinctio ex parte nature, quæ est vniuersalis; nec cognitio reflexa de ipso actu abstrahente, vt contendeat argumentum contrarium. Vnde infero, immerito nonnullos propter hanc obiectionem putasse, Vniuersale, vt respectuum constitui per comparationem, quandoquidem, vt ostendi, ante illam iam supponitur natura respectiua formaliter, & superior, non enim comparatur cum inferioribus, nisi quod iam est illis superius.

TERTIA CONCLUSIO. Notitia comparatiua requiritur, vt natura proximè sit prædicabilis de pluribus. Hæc probatur (vt dixi Sectione,) quia non possum prædicare, *Petrus est hic vel ille homo*, nisi prius nouerim, in conceptu hominis fuisse inclusos plures homines: nam si carerem hac cognitione, omnes illos copulatiuè prædicarem de Petro, quod est falsum. at hæc cognitio noscens ibi esse plures, est comparatiua; ergo sine illa non est natura proximè prædicabilis de multis.

SECTIO IX.

Dubia alia expedita.

- 51 SED insurgit hinc noua quæstio, vtrum scilicet notitia comparatiua, quæ constituit naturam in ratione proximè prædicabilis, sit passio Vniuersalis Logici, sicut intellectus est passio hominis; an verò sit pars essentialis illius, sicut rationale est pars hominis.

Respondeo, hanc esse quæstionem de solo modo loquendi; in quâ probabilius censeo cum communi, Vniuersale Logicum, vt Logicum, constitui tamquam ex parte essentiali ex hac notitiâ comparatiuâ; Vniuersale verò in representando, seu Metaphysicum, constitui per solum actum confusum abstractiuum; Vniuersaleque

Logicum esse passionem Vniuersalem in representando. Sicut respectu nature cygni, albedo non intrat vt pars essentialis, intrat tamen in ratione albi; ita intellectus non est pars hominis, est tamen pars intellectui proximè: quia quod est passio respectu alicuius essentialis, potest esse & est semper essentia respectu alterius concreti, ex essentiali, & illâ passione resultantis. Notitia ergo comparatiua habet se vt pars, respectu *Vniuersalis prædicabilis*, vt passio verò respectu *Vniuersalis in representando*. Vtrumque autem Vniuersale differt inter se vt inclusum ab includenti, quia prædicabile includit & Vniuersale in representando, & aliquid amplius, scilicet comparatiuam notitiam. Vniuersale Metaphysicum, seu in representando, non dicit Vniuersale in prædicando proximè, de quo hic loquimur, sicut *homo* differt ab homine docto, vt includens ab incluso, quia homo doctus & cit totum, quod homo, & aliquid amplius.

Vnde respondetur faciliè aduersariis opinantibus, Vniuersale Logicum non posse à Metaphysico differre, indeque inferentibus, sicut Logicum constituitur per comparationem, ita & per eandem constitui Metaphysicum. Huic inquam rationi respondetur, etiam si homo confusè cognoscat multos homines, quasi essent vnus, & eo ipso constituat Vniuersale in representando, quod Metaphysicum dicimus; non tamen propterea proximè esse prædicabile de multis, quousque per aliam clariorem notitiam cognoscatur multiplicabilitas illius nature. Ergo vniuersale in representando non est proximè, & formaliter prædicabile, ergo hoc potest esse passio illius; malè ergo ab ipsis impugnatur distinctio hæc Vniuersalis Metaphysici à Logico.

Vltima difficultas est, an per solam apprehensionem, an etiam per iudicium, & discursum natura fiat Vniuersalis.

Ab hac difficultate faciliè expediemur, si aduertamus, triplex posse esse iudicium vniuersale. Vnum, in quo tam subiectum quam prædicatum sit Vniuersale, & æquè commune, vt in hoc, *homo est animal rationale*: tam latè enim patet homo, quàm animal rationale, & è contrario. & quidem in hoc iudicio certum est, naturam fieri Vniuersalem, quia in illo non minùs confusè & sine distinctione cognoscuntur inferiora, quàm per primam simplicem apprehensionem; quia in hoc iudicio, cum sit prædicatio æqualis de æquali, nulla fit distinctio in prædicatione.

Dices, per illud iudicium potius definiri naturam vniuersalem, quàm constitui in ratione Vniuersalis, præcipuè cum iam supponatur ea natura facta vniuersalis. Respondeo, quando in ipsâ definitione iudicatiua confunditur natura, non secus ac in simplici apprehensione, non minùs per definitionem constitui vniuersalem, quàm per apprehensionem. Neque obstat, quod iam antea constituta fuerit ea natura vniuersalis: quia in rebus intellectualibus non repugnat, eandem rem bis aut ter aut pluries per diuersos actus constitui in ratione cogniti, vñ, &c. constitui autem bis in esse vniuersali, est bis cognosci confusè. hoc autem quam dicit repugnantiam? Replicabis, Per illud iudicium illa natura debent accipi distinctiue, quia in prædicatione non possunt omnes natura collectiue de vno prædi-

predicari; ergo illud iudicium iam distinguit, quia distinguit; ergo non facit vnum, ergo neque Vniuersale. Respondeo facile, cum in eo iudicio non assumatur subiectum particulare, aut singulare, sed æquè Vniuersale cum prædicato, non esse necessarium, vt prædicatum sit disiunctiuum, quia etiam copulatiuè est verum, *omnis homo est omne animal rationale*, illa autem disiunctio superius requisita est à nobis, quando fit prædicatio superioris de minis vniuersali; tunc enim quia totum de illo inferiori prædicari collectiue nequit, oportet vt fiat disiunctiue.

54 Aliud iudicium esse potest, in quo licet subiectum & prædicatum sit Vniuersale, vnum tamen ex illis vniuersalius est altero, vt in hoc, *homo est animal*, quia, licet tam homo quàm animal sit Vniuersale, animal tamen vniuersalius est quàm homo, animal enim est Vniuersale genericum, homo verò specificum. Et in his iudiciis dicendum est, fieri quidem Vniuersale, non quale responderet prædicato ex se, sed quale subiecto. Explico id, & simul probō: quia quando ego dico, *homo est animal*, & animal non confunditur cum omnibus animalibus, sed potius distinguitur inter illa: quare illud prædicatum non habet omnem suam vniuersalitatem, habet tamen vniuersalitatem specificam; quia licet animal, quod prædicato de homine, distinguitur à bruto, inter animalia tamen rationalia non distinguitur, neque enim distinguo inter animalitatem Petri & Pauli. Quare & animal non fit Vniuersale respectu hominis & bruti, quia inter illos (vt dixi) distinguitur, fit tamen Vniuersale ad Petrum & Paulum, inter quos non distinguit, ac proinde fit Vniuersale non eà vniuersalitate quàm animal in se habet, sed quàm habet illud subiectum, scilicet homo ad Petrum & Paulum, inter quos non distinguit; præcisè enim dicit, *homo est animal vel rationale vel irrationale*. An autem rationalia in se sint multa, non cognoscit, quomodo autem in eo iudicio non distinguente rationalia inter se omnia tamen prædicentur de homine, & fiat & homo Vniuersalis, dictum est num. 13.

55 Tertium tandem iudicium est illud, in quo de singulari prædicatur ratio Vniuersalis, vt in hoc, *Petrus est homo, Bucephalus est equus*: & per hoc iudicium non constituitur Vniuersale, vt communiter & merito docetur; quia licet per illud iudicium omnes naturæ disiunctiue prædicentur, & consequenter prædicetur totum Vniuersale, non tamen omnes illarum naturarum confunduntur, neque sunt vnum, sed potius cognoscuntur vt plura, (vt satis supra ostensum est); ergo per illud iudicium non fiet Vniuersale.

Ex dictis inferes, etiam per discursum constitui Vniuersale, quando discursus fuerit compositus iudiciis vniuersalibus. vt v. g. *homo est animal rationale, risibile est homo, ergo risibile est animal rationale*, qui discursus constituit Vniuersale, quia constat propositionibus non distinguendis, sed potius confundentibus, & constituentibus vnā naturam cognitā, perinde ac si essent vnum risibile, & vnus homo. Quod si discursus consistet aliquo iudicio distinguente naturam, non constituet Vniuersale, vt, *hic homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*; quia & Petrus est homo, & Petrus est animal, iam multiplicat & distinguit naturam, & consequenter

ter potius auferet ab illā vniuersalitate, quā eam ei communicet.

SECTIO X.

De prædicabilitate Vniuersalis.

De prædicabilitate Vniuersalis in actu primo 56 nihil amplius occurrit dicendum, præter ea quæ hucusque diximus: ostendimus enim, naturam per apprehensionem fieri vnā in omnibus, & vniuersalem Metaphysicè; vt sic autem, diximus solum esse prædicabilem remotè, quia dum non accedit apprehensio comparatiua, non est proximè prædicabilis, neque vniuersalis Logice. Nunc oportet explicare actuales ipsius Vniuersalis prædicationes.

SUBSECTIO PRIMA.

Quædam præmitto.

Pro quo reuocanda sunt in memoriam, quæ Disputat. 1. à num. 61. ex communi & certā sententiā dixi, in omni propositione affirmari identitatem prædicati cum subiecto, & ideo omnes fieri per Verbum *sum, es, fui*, vel formaliter, vel virtualiter, quia *ego amo, ego curro*, idem est ac, *ego sum amans, ego sum currens*. Reuocanda etiam, quæ ibi dixi num. 62. nomina alia esse concreta, quæ dicunt duas res, vnā in recto, aliam in obliquo, vt *albus*; id est *habens albedinem*, ecce subiectum in recto, albedinem verò in obliquo; alia verò esse abstracta, in quibus totum quod significatur, ponitur in recto, vt *albedo, dulcedo*. Tertio, quæ vbi supra docui, vt propositio sit vera, solum requiri, ea quæ per prædicatum & subiectum dicuntur in recto, identitari inter se: ideo enim hæc est vera, *albus est frigidus*, quia, licet albedo & frigus, quæ dicuntur in obliquo, non sint idem, est tamen idem subiectum vtriusque; hæc verò falsa, *albedo & subiectum sunt frigus & subiectum*, quia, licet subiectum vtriusque sit idem, at formæ, quæ in hac prædicatione ponuntur in recto, non sunt idem. His aliunde suppositis, hic iam aduerto Primo, Propositiones alias esse essentielles, alias accidentales; non quia in vtriusque prædicatum in recto non debeat esse essenziale subiecto in recto, quia cum, vt propositio sit vera, debeat identitari prædicatum cum subiecto, & quæ inter se identificantur, sint sibi essentialia, inde fit, vt in omni verā propositione debeat prædicatum in recto esse essenziale subiecto in recto. Dicuntur ergo aliquæ propositiones accidentales, in quibus id, quod prædicatum dicit in obliquo, nec est de essentiā subiecti, nec ponitur in obliquo ex parte subiecti: vt in hac, *Petrus est albus*, subiectum albedinis, quod dicitur in recto per & *albus*, essenziale quidem est Petro, quia est ipse Petrus; at verò quia *albedo*, quæ significatur in obliquo, non est essentialis Petro, nec explicatur per vocem *Petrus*, quæ est subiectum, ideo prædicatio dicitur accidentalis. Essentialis verò est illa, in quā totum prædicatum est de essentiā subiecti, tam secundum totum id quod dicit in obliquo, quàm secundum id quod dicit in recto. vt in hac, *Pater æternus est Deus*, quia tam natura diuina,

uina, quæ dicitur in recto, quàm personalitas Patris, quæ dicitur in obliquo, est essentialis Patri æterno.

58 Dices, Hæc est essentialis, *album est album*, & tamen dicitur in obliquo *albedo*, quæ non est essentialis subiecto; male ergo explicata est essentia propositionis accidentalis. Respondeo, eam esse essentialem, quia eo modo quo prædicatum dicit albedinem, eam dicit subiectum: unde nihil dicit prædicatum, quod non dicat subiectum; idem autem sibi est essentialis. At quando dico, *Petrus est albus*, Petrus non dicit albedinem, neque in obliquo: unde & cum hæc sit accidentalis Petrus, illa propositio dicitur accidentalis, propterea supra dixi, *Nec obliquum prædicatum ponitur in obliquo ex parte subiecti*.

Aduerte Secundo, prædicationem aliam esse directam, aliam indirectam. Directa est, in quâ prædicatum se habet ut forma, subiectum ut materia; vel in quâ prædicatum se habet ut pars, subiectum verò ut totum, quia pars inhaeret toti, non verò totum parti. Indirecta verò est, in quâ est contrario prædicatum se habet ut subiectum, & subiectum ut forma; vel in quâ prædicatum se habet ut totum, subiectum verò ut pars. Hæc autem prædicationes secundæ dicuntur indirectæ, primæ verò directæ, quia cum ratio subiecti sit desumpta ex analogiâ ad subiectum Physicum, & ratio prædicati ex analogiâ ad formam Physicam, ea dicuntur prædicari directè, id est magis iuxta naturam prædicationis, quæ pro subiecto significant id, quod in se etiam habet rationem subiecti; & pro prædicato, quod habet rationem formæ, ut in hac, *Petrus est albus*, quæ est directæ, quia *albus* se habet ut forma, *Petrus* verò ut subiectum: item in hac, *animal est rationale*, quia *animal* se habet ut subiectum, *rationale* verò ut forma, quia prædicata superiora sunt quasi subiecta respectu differentiarum.

Limitanda tamen est hæc doctrina ad ea prædicata inferiora, quæ sunt præcisè differentia, v. g. *rationale*, *hominibile*: si enim sint species, ut *homo*, *equus*, tunc directè prædicatur de illis ratio superior, *homo est animal*; indirectè autem est contrario prædicantur ipsæ species de genere, seu de re aliâ superiori, v. g. *animal est homo*. Cuius ea est ratio, quia genus, si comparatur cum specie, habet se ut pars, species verò ut totum. Pars autem est quasi forma respectu totius, quia inhaeret toti, non tamen est contrario totum parti. Ex quo intelliges differentias inter prædictas propositiones, *animal est rationale*, & *animal est homo*. Licet enim *animal* sit superius, & respectu *hominis*, & respectu *rationalis*, & consequenter ex hac parte 60 videatur de utroque eodem modo prædicandum; tamen, quia *animal* respectu *rationalis* habet se ut pars respectu alterius compartis, & aliunde *animal* est quid determinabile per differentiam rationalem, ideo *animal* respectu *rationalis* habet se ut subiectum, directèque de illo prædicatur *rationale* hoc modo, *animal est rationale*: si verò comparatur idem *animal* respectu *hominis*, habet se ut pars respectu totius, quia *homo* dicit *animal*, & aliquid amplius, scilicet *rationale*: quare *animal* non habet se ut subiectum hominis, sed potius ut forma hominis, quia pars (ut dixi) se habet ut forma, totum verò ut subiectum, ideoque indirectè prædicatur *homo* de

animali, *animal* verò de *homine* directè.

Dices, Hæc est prædicatio indirecta, *ens est substantia*, & tamen substantia se habet ut pars respectu entis; ergo pars prædicatur indirectè de toto. Nego Minorem, quia substantia est species entis, unde dicit ipsum *ens* & aliquid aliud, scilicet differentiam perfectitatis: quare potius *ens* habet se ut pars, substantia autem ut totum, & est idem ac *animal* respectu hominis.

Aduerte Tertio, aliquas propositiones esse veras solum in sensu idemtico, aliquas etiam in sensu formali. Cum enim duplex sit identitas, alia realis, ut inter *animal* & *rationale*, alia etiam rationis, ut inter *hominem* & inter *animal rationale*, quia (ut supra diximus) nec ratione ratiocinata distinguitur definiti à definitione, ita etiam potest propositio esse vera vel solum realiter, vel etiam ratione nostrâ: ratione, ut *homo est animal rationale*; idemticè, ut *animalitas est rationalitas*.

Ultimò tandem aduerto, Vniuersale dicere in 61 recto naturam realem, quæ est subiectum vniuersalitatis; in obliquo autem ipsam vniuersalitem, id est, actum intellectus quo confusè cognoscitur: sicut *album* dicit in recto subiectum, in obliquo verò albedinem. Unde, sicut in Summulis diximus, non multiplicantur alba pro multiplicata albedinum, sed pro multiplicata subiectorum, ita etiam nunc dicimus, non multiplicari Vniuersale pro multiplicata cognitionum, sed solum pro multiplicata naturarum. Quare omnes homines confusè cogniti à Petro & à Iohanne non efficiunt duo Vniuersalia, sed vnum cum duabus vniuersalitatibus. His positis,

SVBSECTIO SECVNDA.

Prædicatio vniuersalis declaratur.

PRIMA CONCLUSIO. Concretum de concreto vniuersali potest prædicari directè & indirectè, ut v. g. *homo est animal*, *animal est homo*. Probatur Conclusio: Ad veritatem propositionis solum requiritur, ut sit identitas inter prædicatum & subiectum; ergo quod semel est prædicatum alicuius subiecti, & consequenter idem realiter cum illo, potest etiam est contrario esse subiectum primi sui subiecti in aliâ propositione.

SECUNDA CONCLUSIO. Abstractum de concreto, & est contrario verè prædicatur, si à parte rei non sint distincta, ut *Deus est Deus*, *homo est entitas*. Quod si concretum in recto dicat aliquid reale, quod non dicit abstractum, non poterunt prædicari inuicem, *album est albedo*, quæ est falsa, quia *album* dicit in recto subiectum, quod realiter distinguitur ab albedine. Quod si concretum in recto solum dicat id quod dicit abstractum, etiam si in obliquo aliquid reale distinctum dicat, adhuc poterunt inuicem prædicari: ut si *homo* in recto solum dicat naturam humanam (ut alibi tamquam probabilius ostendi, loquendo de puro homine) benè poterit dici, *homo est humanitas*, etiam si *homo* dicat personalitatem, quam non dicit humanitas; quia eam non dicit in recto, sed in obliquo. Ex hac Conclusionem inferetur postea quarta.

TERTIA CONCLUSIO. Abstracta de abstractis eiusdem indiuidui si realiter sint idem, benè possunt

sunt prædicari; secus, si distinguantur. Quare dici potest, *animalitas est rationalitas*, non verò, *albedo est dulcedo*, quia hæc realiter distinguuntur, illæ verò non. Quando autem dicitur, in sensu formali esse falsas eas propositiones, *animalitas est rationalitas*, *humilitas est animalitas*, intelligendum id est cum grano salis, hoc est, *animalitas, ut concepta in ordine ad effectus sentiendi, non est rationalitas, ut concepta in ordine ad effectus discurrendi*, quod clarius sonat, conceptum animalitatis non esse conceptum rationalitatis, modo supra explicato, dum egimus de Præcisionibus.

63 Hæc autem distinctio actuum est realis, quare iuxta hunc sensum posset dici, *animalitas ut animalitas, non est rationalitas ut rationalitas, etiam a parte rei*, quia conceptus, supra quos reduplicatio fit, non sunt idem realiter.

QUARTA CONCLUSIO. Concreta secundæ intentionis de concretis secundæ intentionis verè prædicantur, ut, *genus est vniuersale*: item concreta secundæ intentionis de concretis primæ, ut, *homo est species*, *animal est genus*. Cum enim per nomen *species* in recto solum significetur homo, & in obliquo cognitio, homo autem identificetur cum homine, inde est, posse dici, *speciem esse hominem*, & *hominem esse speciem*. Non tamen dici potest, *homo est generitas*, aut *specieitas*; quia *specieitas* solum dicit cognitionem quâ homo fit vniuersalis, *homo* autem licet sit id quod à cognitione denominatur vniuersale, non tamen est ipsa cognitio seu vniuersalitas, sicut nec *album* est *albedo*. Quod si contendas, etiam generitatem esse abstractum ex cognitione & naturâ, sicut humanitas ex animâ & ex corpore, adhuc non potest dici, *homo est specieitas*, aut *animal est generitas*; quia tunc dicitur in recto tam cognitio quàm ipsa natura: homo autem non est natura humana, & cognitio, sed solum natura humana: vnde non potest de illo affirmari prædicatum, in quo dicitur in recto ipsa cognitio.

64 Aduerte, ipsam generitatem, seu vniuersalitatem abstractam esse vniuersalem respectu omnium generitatum, & respectu omnium vniuersalium; sicut *albedo* est vniuersalis respectu omnium *albedinum*. Tunc autem ipsa vniuersalitas fit vniuersalis per cognitionem confusam, & reflexam supra omnes vniuersalitates, quia non solum homo est communis ad Petrum & ad Paulum, sed etiam cognitio confusa omnium hominum, ad cognitiones confusas, quas habent Petrus & Paulus, & omnes Dialectici de iis hominibus.

Rogabis, an, cum dico, *animal est rationale*, significetur in recto aliquid subiectum habens rationalitatem, sicut cum dico, *album esse dulce*, significatur in recto subiectum commune albedinis & dulcedinis, ratione cuius illa propositio est vera, etiam si albedo & dulcedo distinguantur; vel, an illa propositio sit eadem cum hæc, *animalitas est rationalitas*.

65 Respondeo, nullum ibi significari subiectum, quia non significatur suppositualitas, seu personalitas (hæc enim potius significatur in obliquo, ut alibi probaui) ex hac propositione verâ, *homo constat animâ & corpore*, quæ esset falsâ, si in recto personalitas significaretur; nam personalitas

non constat animâ & corpore. Deinde ipsa natura humana non est subiectum animalitatis & rationalitatis, quia non distinguitur ab vtraque; ergo non significatur aliquid commune subiectum animalitatis & rationalitatis. Hæc omnino certa, si de subiecto Physico loquamur; si verò de subiecto quasi Metaphysico, & ratione nostrâ, posset aliquis fortè dicere, significari ibi concretum ex ente & rationalitate, & ens significari in recto, quasi diceret, *hoc ens, quod habet rationalitatem, habet etiam animalitatem*, & idem in aliis: ideoque istam propositionem etiam Metaphysicè esse directam, *animal est rationale*, propter subiectum commune, has verò, *animalitas est rationalitas*, non esse veras in sensu Metaphysico, sed solum in idemtico. Sed hinc videtur hæc doctrina reici: si enim significatur in recto ens, siue entitas tamquàm subiectum aliorum prædicatorum; ergo etiam hæc erit formalis prædicatio, *entitas est animal*, *entitas est homo*; quia rectum illius prædicati *homo*, esset entitas, quæ proculdubio directè prædicatur de entitate. Hæc autem propositiones, *entitas est homo*, in omnium sententiâ non magis formales sunt, quàm illæ, *animalitas est rationalitas*; ergo argumentum ex his desumptum nullum est.

Propterea putarem dicendum, nullum significari in re subiectum, etiam Metaphysicè, nisi solum quoad modum tantum loquendi: quia animal videtur ex modo loquendi esse terminus concretus ex formâ & subiecto, cum tamen in re non sit, nisi velis dicere, esse concretum ex naturâ & subsistentiâ, & hanc in obliquo significari, naturam verò in recto. At in eo sensu non significatur subiectum commune rationalitatis & animalitatis, sed solius personalitatis: natura enim non recipit rationalitatem, sed est ipsamet rationalitas, & animalitas; nullum ergo horum commune subiectum significatur, sed modus significandi id videtur denotare. vnde fit, ut in modo loquendi animalitas significetur per modum adiacentis, & quando postea dicitur, *animalitas est rationalitas*, fiat vna propositio quoad modum concipiendi falsâ ratione nostrâ, quia formæ, quæ Metaphysicè distinguuntur ratione nostrâ, inuicem affirmantur, & consequenter ratione nostrâ non est vera affirmatio: in re tamen ipsâ, & ex parte obiecti non minùs sunt veræ hæc, *animalitas est rationalitas*, quàm hæc, *animal est rationale*; 67 neque diuersum quid significat *animal* quàm *animalitas*, sicut nec *ens* quàm *entitas*. Quid enim *ens* significabit, quod non sit entitas, etiam formaliter? Est ergo solum diuersitas purè in modo loquendi, non in re significatâ.

Dices, me supra dixisse pro Scoto, etiam si gradus distinguerentur realiter, posse esse veras has propositiones, *homo est animal*, ratione alicuius subiecti communis significati in recto, quod iam hic nego. Respondeo, in eâ sententiâ de distinctione graduum, posse dici ipsam rationem *entis* significari in recto, tamquam subiectum distinctum aliorum graduum: at hic ego loquor in meâ & verâ sententiâ, non distinguente non solum realiter, sed nec præcisue ex parte obiecti eos gradus inter se, quo casu nullum est subiectum quod significetur ut eos recipiens.